

055

053

059

049

064

044

104

004

154

Ende

Anfang

40

Turcorum saevitiam evadere, quos videbant cottidie in armatis
tremibus pro praeda per mare discurrere. Intravimus autem
ad quendam Theutonicum, qui licet esset Patronus turpitudinis
tamen ad nostrum ingressum mundavit aedem, et scorta
removit. Non erat aliud hospitium ibi pro peregrinis. Porro
juxta domum illam erat alia domus, hospitium Turcorum
mercatorum, et actu erant in ea multi Turci Constantinopoli-
tani mercatores divites, qui, ut nobis referebatur, dicebant:
homines isti, si ulterius processerint, perditi sunt. Quidam
etiam de Turcis ad nos in domum venerunt, avisantes nos,
ne rebus sic stantibus mare intraremus, quia capi nos esset
consequens. Insuper dux Candiae et sui consiliarii, volentes
nobis misericordiam praestare, miserunt ad nos Oratorem, qui
pulcherrima oratione Latina commendabat nostram peregrinatio-
nem et plurimi rationibus dissuadebat ulteriore profec-
tionem, ostendens jam et majus periculum quam hucusque, quia inter
Cretam et Cyprum mediaret Rhodus insula, quae erat obsidione
Turcorum vallata, nec possemus evadere, quin in hoc medio
occurrent nobis Turcorum piratae. Mansimus autem ibi per
quinque dies, et omni die pejora nova accepimus. Quibus
tamen non obstantibus Galēam ingressi sumus, et ad profec-
tionem nos disposuimus. Cum timore autem navigare incepimus
timentes ne forte ventus veniret, et raptam Galēam in exercitum
et obsidionem Turcorum nos projiceret. Quam cito autem
extra portum in altum venimus; ecce aspiravit ventus fortis-
simus et optatus, et longe a Cycladum insulis, quarum Rhodus
prima est, nos (**B**) ejicit. Et ferebamur impulsu prosperorum
ventorum, qui continue succrescebant, et mare fremebat, et
fluctus intumescebant, adeo quod tempestas valida facta fuit.
Et omnia superiora navis aquis erant perfusa. Haec autem
tempestas erat saluberrima nobis tum quia repente impellebat
nos ad portus intentos, tum etiam quia reddidit nos ab invasione
Turcorum securos. Quia impossibile erat nostram navem
capi in tam rapidissimo cursu existentem. Ex tunc ergo
deposuimus omnem apparatum bellicum, bombardas, cuspides,
lanceas, scuta et clypeos, balistas et arcus, lapides et jacula,
quibus in Corzyra Galēam nostram munivimus contra Tur-
corum incursum, quia vidimus nos inimicos crucis Christi